

illos aspiciente, uel ipsis eam, & si aliquis ipsorum sit in communi signo, duas dic habebiturum. Si autem aliquis eorum fuerit retrogradus, uel combustus, non numeretur.

Generaliter, Venus in duplicibus, uel tropicis signis, & domini loci Veneris similiter in duplicibus, plures uxores significant, uel etiam mulieribus plures maritos. Quod si Venus in his non fuerit signis, & lunam tantum aspiciat unam tantum dabit uxorem, uel unum uirum.

In omni natiuitate Saturnus Veneri iunctus in eodem signo, si Saturnus habuerit plures partes, unam tantummodo decernit uxorem. Si autem Venus plures partes possederit plures habebiturum dicitur.

Quot planetis applicat Sol ante exitum signi in quo est in natiuitate mulieris, tot maritos significat. Similiter dic de Luna in uirorum genituris.

Iupiter in septima, significat tres uxores, duas uirgines & unam uiduam, eruntque illustres, habebitque cum ipsis fortunam, & iactantiam.

Vide tres dominos triplicitatis Veneris. Si omnes aut plures fuerint orientales, absque impedimento extra radios, natus uxorem ducet in iuuentute, & erit fortunatus in mulieribus. Si aliter fuerit, aliter pronunciabis, maxime si domini triplicitatis, non aspiciunt Venerem. Si uero fuerint occidentales, non contrahet matrimonium, nisi in magna aetate.

Saturnus si fuerit exaltatus super Venerem in decima, aut fuerit cum Venere in quadrato, uel opposito, natus erit frigidus ad mulieres. Si autem Venus exaltata fuerit in decima super Saturnum, dabit coniugium in media & conuenienti aetate.

Dominus septimae si non aspexerit septimam, & dominus Lunae Lunam, dominus quoque partis coniugij eandem partem, & dominus Veneris Venerem, natus non gustabit mulierem.

Si Saturnus in Medio caeli aspexerit Venerem ex quadrato uel opposito, natus abhorrebit a coniugio.

Si fuerit Luna a Sole combusta, & Venus in sexta aut duodecima, natus nullamquam ducet uxorem.

Venus in decima in trino Lunae, cum testimonio aliarum stellarum, unam tantummodo significat uxorem.

Venus uespertina in septima, & Saturnus in quarta, uiros ad actus Venereos languidos significat; Sed in foeminae genitura, eam abhorreere actus Venereos.

Venus si fuerit ab ascendente cadens, iuncta corporaliter Saturno, aut in quadrato uel opposito eius absque aspectu Iouis, natus non appetet mulieres.

Timendae sunt mulieres habentes in suis genituris planetas in locis masculinis. Si fuerit pars coniugij uiri in signis obedientibus, mulieris autem in imperantibus, mulier imperabit uiro, uir autem obediet mulieri. Si autem econuerso fuerit diffinitas econuerso.

Si Venus orientalis in dignitatibus suis extiterit, uel solum orientalis, uxor nati erit animosa, quae etiam uiro suo imperabit.

Mulieres ex innata natura instabiles sunt, instabilissimaeque dum ascendentia earum bicorporea sunt, pessimae quidem dum ascendentia, significatoresque in bicorporeis existunt, non tamen fortunata & libera, fiuntque daemones dum Venus, Mars & Mercurius in hac forma associantur.

Si fuerint ambae infortunatae in sexta cum Venere, uxores nati erunt meretrices.

Si Cancer uel Capricornus in quarta domo, & ibi Venus fuerit, natus copulabitur cum meretrice, & contrahet scelus, ac crimen, culpa ipsius.

Venus in ascendente coniuncta Saturno, aut publicas meretrices, aut proeclatate aetatis decernit uxores.

Mars